Epistola critica
ad
VIRUM SUMME VENERANDUM
GOTTHILF FERD. DOEHNERUM,
EPHORIAE FRIBERGENSIS VICARIUM, AD AED. PETR.
CONCION. I. ET SEM. DIR.,
de
aliquot locis lib. II. Ciceronis de Oratore,

qua

ad Memoriam

Jo. Christoph. Richteri, Henr. Eckhardi ejusque Sororis et Leb. Ehreg. Taubei

in Gymnasio Fribergensi
d. XI. Maj. MDCCCXXXII. hor. IX. matut.
pie celebrandam

summa cum observantia
invitat

M. Carolus Augustus Rüdiger,
Gymnasii Rector.

Fribergae,
ex officina Gerlachiana.

1832

Doehnero suo

S.

Auctor.

Ex quo, Vir Summe Venerande et Amicissime! munus sacrum et scholasticum apud Fribergenses sustines, tanto utriusque officii studio incensus fuisti ut largissimos inde fructus perceperis. Jam quum Regis Sax. Potentissimi jussu munus Vicarii Ephoriae Fribergensis et praesidium nostri Gymnasii Tibi demandatum sit, non possumus quin laetissimo animo Te salutemus ac Tibi nostras res commendatas esse velimus. Quo melius nosti, qualis et quanta sit provincia eorum, qui publice juventutem erudiunt et pietate ac liberalium artium studio imbuunt, eo certius speramus fore ut nostrae res, Tuae tutelae commissae, in dies laetius efflorescant. Quare optima quaeque Tibi tantum munus adituro apprecantes et congratulantes, enixe Te rogamus, Tuo favore ac consilio, quae est Tua humanitas, nos ornes et amplectaris. Benigno igitur animo accipe hoc munusculum, quod ad aliquot Ciceronis de Oratore locos pertinet: in quibus eo lubentius versatus sum, quo Tu ipse dicendi virtute excellentior et animos eorum, qui Te audiunt, pio sensu inflammandi es peritior.

Veterum scriptorum monumenta, quae temporum iniquitate et hominum inertia dudum depravata partim jacuerunt partim adhuc jacent, ex hac misera et sordida conditione esse vindicanda ut e renatis litteris fuerunt, qui summo jure contenderent eaque in re maximam consumerent operam, ita nunquam deerunt: quippe qui quantum illa ad ingenii vires acuendas, animum excolendum et emendandum atque elegantiae gustum perpoliendum valeant, cognitum perspectumque habeant. Et ex hoc quidem genere maxime rhetorum et oratorum esse opera cum viri docti omnino professi sunt, tum ii, qui de arte dicendi ipsi scripserunt, aut eam ad vitae publicae usum converterunt vel nostra maxime aetate converti voluerunt. Ne quis miretur, me Ciceroni primas deferre partes, Aristoteles et Quintilianus subtilissima quidem scripta de hac arte ediderunt, sed neque privatis neque publicis rebus dicendo consulendi potestatem nacti sunt. Romani vero Consulis opera nitent praeclara illa orationis copia, gravitate, concinnitate et lepore, ut operae pretium sit, hac scribendi opportunitate oblata, de aliquot locis difficilioribus secundi libri de Oratore disputare et, unde haec illave difficultas orta sit, pro virili parte demonstrare. Jam etsi nostra aetate non defuerunt, qui praeclare de hoc celeberrimo Ciceronis dialogo mererentur*), tamen non paucos locos mihi reperisse visus sum, in quibus vel explicandis vel restituendis dissentiam: neque hoc mirum erit cogitanti, tum quoties ipse scriptor vel breviter vel obscure vel negligenter dixerit, tum quot librariorum in scribendo fuerint compendia, quanta oscitatio et inscitia. Ita invenimus duplicem fontem, e quo multorum locorum difficultas promanarit; qua sublata aut expedita, sensum verborum facilius erues et haec ipsa minus tentabis, quid multa? vulgatam defendes. Has vero partes primo agam.

Cicero quum de vitae rusticae laudibus disserens monuisset, viros nobilissimos in ea acquiescere consuesse, dicit cap. 6. §. 23.: „sic enim res habet: ut quemadmodum volucres videmus — levandi laboris sui causa passim et libere solutas opere volitare, sic nostri animi forensibus negotiis atque urbano opere defessi, gestiunt ac volitare cupiunt vacui cura ac labore.“ Viri docti, qui hunc locum explicant, in duas abiere partes; alteri, particulam ut determinativam existimantes, scripserunt gestiant ac cupiant: ita Wyttenbach. Bibl. crit. I. p. 15. Muellerus atque Orellius, et hic quidem motus auctoritate codd. reg. 7704. et 7753. Ab his discedunt, qui statuunt Oratorem structurae coep-

*) Post J. A. Ernestium, Virum Summum, Cic. libb. d. Orat. ed. C. G. Schuetz Lps. 1804. G. C. Harless Lps. 1815. O. M. Mueller. Züllich. 1819. C. Olshausen. Slesv. 1825. In Cic. Opp. ed. Vol. 1. J. C. Orellius. Turic. 1826. In usum scholarum (?) L. J. Billerbeck. Hannov. 1828. Nuperrime R. J. F. Henrichsen. Havn. 1830. Observatt. ad Cic. d. Or. Part. I. scr. G. N. Busch. Rostoch. 1830. (pertinent ad lib. I, c. 1–13.)

tae immemorem indicativo esse usum pro conjunctivo: Gernhard et Beier ad Cic. d. Off. III, 10, 45. Matthiae de anacol. ap. Cic. in Wolfii Anal. litt. II, p. 20. et Olsh. ad h. l. Recte animadvertit Henrichsen, anacoluthon in sententia non perturbata esse non posse. Ipse hic Lambinum et Ernestium sequutus ab altera stat parte, et particulam deleri vult, quae tamen in omnibus codd. et edd. legitur. Equidem eam servandam esse puto, non quo dicam, notionem innui determinativam, quae, ni fallor, ab hoc loco aliena est, sed Cicero pleonastice scripsit ut quemadmodum, ut Germani, wie zum Beispiel. Similiter etsi quamvis in Cic. epp. ad Att. XVI, 7. „etsi quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti.“ Deinde postea pro Mil. c. 24. §. 65. „deinde postea se gladio percussum ab uno de illis etc.“ Terent. Phorm. I. 2, 39. „hic solebamus fere plerumque eam opperiri.“ Vid. Mencken. Obss. ling. lat. p. 234. et Sanct. Minerv. I. p. 744., ubi plura ejusmodi exempla congesta videbis.

Sed quemadmodum his locis ut defendendum videtur, ita alio loco ejiciendum. Etenim cap. 17. §. 73. haec habes: „in his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tamquam Phidias, Minervae signum efficere possit: non sane quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.“ Particulam ut, quae in nullo libro legitur, conjecit Ernestius, quem, praeter Orellium, omnes sequuti sunt. Hic vero brachylogiam miram, sed latinam agnoscens ejecit: adsentior quidem Henrichsenio, qui durissimam hanc formam dicit, sed vulgatam ita defendo ut verba „in clypeo idem ille artifex“ explicandi gratia a scriptore interposita parentheseos signis includam, et e seqq. fecit ad haec ipsa retraham.

Saepe Orator dicendi quodam fervore abreptus*) verborum structuram ab initio enunciationis coeptam, alia sententia interposita, praetermisit et novam iniit. Exempla afferam. Cap. 17. §. 72. quum dixisset, in causarum contentionibus magnum esse opus quoddam, pergit: „ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est: quum aut docendus is aut dedocendus aut omni ratione ad tempus, ad causam oratione moderandus: in quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducen-

---

*) Formam hanc dicunt Grammatici anacoluthon, de quo disseruerunt Gernhard. Exc. ad Cic. d. Off. p. 445. Matthiae de Anacol. ap. Cic. in Wolf. Anal. litt. II, p. 1 – 25. Kühner ad Tusc. I, 14, 30. contendit, hoc negligentius dicendi genus non ex scriptorum oscitantia et incogitantia ortum esse, sed eos hanc negligentiam arte quadam ac dedita opera quaesivisse, ut dialogorum rationem ad sermonum formam fingerent. Ut illud concedam, tamen hoc nolim, nam longior enunciatio e dicendi copia enata, non quaesita, plerumque effecit, ut nova structura iniretur. Vid. Ramshorn Gramm. lat. p. 708. ed. 1.

dum est: qui tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem tum ad remissionem animi tum ad tristitiam tum ad laetitiam est contorquendus, — omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum. Muellerus post „tibi est" plene interpunxit, „in quo — contorquendus" signis cinxit, et apodosin in verbis „omnium etc." esse jussit. Quam rationem improbo, quoniam „quum aut docendus is" a praecedentium verborum nexu aegre segregari potest. Orellius locum eo modo edidit, quo describendum curavi; Henrichsenius vero Madvigii emendationem recepit „aut tamquam machinatione" quae vel propterea ferri nequit, quod „est" ante contorquendus, omissum illud quidem sine omni auctoritate ab Henrichs., nullo modo omitti debebit. Neque illud laudo, quod Vir doctissimus ante „omnium" plene interpunxit; nam haec sententia nude posita suo jure caret, quod sibi vindicat e protasi. Quapropter verba intermedia „et quum autem docendus — contorquendus" duplice funguntur munere: nam et praecedentibus inserviunt et sequentia regunt. Simillimum vide locum cap. 46. §. 192. ubi haec: „et ne hoc in causis, in foro accidere miremur [sc. ut natura orationis oratorem permoveat], quum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius; quamquam, quum professus sis, te id facere posse, quod pauci, ne id quidem negligendum est), sed alia sunt majora multo, fides, officium, diligentia." Scriptor duplicem structuram in unam conjunxit; ejus enim mens haec est: ne hoc miremur, alia sunt majora [injuria Pearc. „sunt" deleri voluit]; interposuit vero „quum agitur non solum ingenii nostri existimatio," his verbis respondent „sed alia sunt majora." Tangit hunc locum Matth. de Anac. ap. Cic. in Wolf. Anal. Litt. II, p. 6. dicens: „quum agitur — sed alia sunt pro: quum agitur non solum i. n. e., sed etiam fides." Male addidit „etiam" quod Ciceronem de industria omisisse ipsa verba „multo majora" satis arguunt, quae quidem comparationem excludunt. Vid. Cic. Orat. 72, 236. „eloquens vero, qui non approbationes solum, sed admirationes movere debet" Liv. I, 40. 29, 4. Goerenz ad Cic. de Legg. III, 11. 25.*). Nec dissimilem dico rationem hanc, quae est cap. 84. §. 341. „nec illud tertium, laudationum genus est difficile, quod ego initio quasi a praeceptis nostris secreveram: sed et quia multa sunt orationum genera et graviora et majoris copiae, de quibus nemo fere praeceperat, et quod nos laudationibus non ita multum uti soleremus, totum hunc locum segregabam. Ipsi enim Graeci magis legendi et delectationis aut hominis alicujus ornandi quam utilitatis hujus forensis causa laudationes scriptitaverunt." Locum hunc ita apposui, ut legendum puto, de qua re statim dicam. Muellerus et Orellius scripserunt ut vulg. sunt — prae-

*) Alium adderem locum e cap. 3. §. 10. ubi, quod vulgo legitur, „sed quoniam" ab Ernest. mutatum est in „sed quamquam," ab Henrichs. „quoniam," ab Orellio „quamquam" includitur, nisi R. Klotzius Quaest. Tull. Lips. 1830. p. 22. sqq. lectionem vulgatam recte defendisset.

ciperet — e conject. solemus, Henrichsen e conj. essent — cum vulg. praeciperet, — soleremus. Haec quidem ratio si librorum auctoritate niteretur, ceteris praestaret, nam sunt — praeciperet aegre ferri potest. Quum vero Havn. A. marg. d. et Steph. legant praeceperat, hoc praetuli et in ceteris vulgatam servari. Etenim prior enuntiationis pars certam innuit notionem, quae per se constat, altera vero pendet a cogitatione, quae in „segregabam" latet; quod ipsum discrimen jam inest in particulis quia et quod, quarum illa causam indicat in natura rei sitam (objectiv.), haec ad animi rationem plerumque refertur, (subjectiv.) ita ut persaepe causarum diverso generi inserviant. d. Or. I. 48, 207. II. 75, 305. Fam. VI. 22. IX. 12. Statim adjunxi locum sequentem, in quo part. et ab aliis omissa (Mueller.), ab aliis (Or. Henr.) in vincula conjecta est. Cujus rei causa haec fuisse videtur, quod legendi nollent passive dici; at non raro Gerundium hanc suscipit notionem. Cic. Tusc. Qu. I. 23, 53. „ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi." Ib. 28, 69. „multitudinem pecudum partim ad vescendum, partim ad corpora vestienda." Ramshorn Lat. Gr. p. 442. ed. 1. Neque et offendet eum, qui quoties hendiadys a scriptoribus adhibeatur, meminerit. Vid. Cic. p. Sull. §. 2. „si constantiam hujus officii et defensionis probavero" i. q. paullo ante dixerat „defensionem officii." Id. p. Arch. §. 13. oratio et facultas i. q. orationis facultas. Sic nostro loco: Graeci scriptitaverunt laudationes magis legendi et delectationis causa i. e. delectationis causa, quae praebetur legendo.

Sed accedo ad alios quosdam locos, quos injuria videntur interpretes tentasse, non quo dicam, eos ob omni parte sanos esse, sed ut dubitationes movendo alios, ut verum investigent, impellam. Cap. 41. §. 174. quum dixisset, ea, quae dici potuerint, breviter dicta esse, imaginem ducit ab auro, quod sit defossum, satis esse signa et notas locorum ostendere ut, qui vellet, illud ipsum inveniret; jam pergit: „sic has ego argumentorum novi notas, quae illa mihi quaerenti demonstrant, ubi sint: reliqua cura et cogitatione eruuntur." Ita hic locus scribitur in editione Orelliana. Offendit sane, quod auctor comparationis propositae immemor, id quod de aliis dicere debebat, de semetipso dicit. Ita factum, ut Schuetzius et Muell. ederent e Pearc. conject. notavi notas, quae illa quaerenti demonstrent, ubi sint: quo modo etsi difficultas illa tollitur, tamen demonstrent scribatur necesse est. Longe aliam rationem nuper Henrichsenius iniit, qui quum quae illa mihi in aliquot codd. omittantur et pro demonstrant in Pal. pr. (it. Z a correctore) legatur demonstravi, omnem locum ita restituit: „sic has ego argumentorum notas quaerenti demonstravi, ubi sint." Haec ratio omnino placet et loco accommodatissima est; sed quis tandem, quaeso, haec si lectio fuisset vetusta, ita eam corrupisset? accedit ut Henrichsen. ipsam eo suspensam reddiderit, quod dicit: „erui notas Pal. pr." et paullo infra: „demonstravi exhibet Pal.

pr.“ alterutrum falsum sit necesse est. Quae quum ita sint, videndum, annon lectio vulgata habeat, quo defendatur; hoc, ni fallor, dicit auctor: ut aurum quaerenti signa et notas locorum ostendo, ut ipse inveniat, ita sunt mihi notae quaedam, quae si argumenta quaero, ubi inveniam, demonstrant. Alii meliora suadeant!

Cap. 45. §. 188. „Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat, quum a me divinitus tractari solere diceret.“ Librorum auctoritate moti interpretes quum a me pro vulg. quae a me scripserunt. Muellerus quae ex quam ea ortum putans hanc conjecturam in textum recepit. Falsus igitur est Orellius*), qui et ipse exhibens quum ea hanc codicum et editionum vett. lectionem esse dicit. At profecto hoc additamento carere possumus in loco tam arcte connexo, ita ut recte Henrichs. pronomen deleverit. — Sunt porro loci in quibus editores praepositionem in aut ejici aut mutari voluerunt. Sic cap. 75. §. 305. „si quae vitia aut incommoda sunt in aliquo judice uno aut pluribus, ea tu in adversariis exprobrando non intelligas te in judices invehi?“ Ernestius in delendum existimat, quoniam Latini nusquam dicant in aliquo quid exprobrare. Schellerus in Lex. s. exprobare et in Obss. p. 23. in ad exprobrando putat referendum esse. Orell. et Henrichs. uncis hanc voculam incluserunt, quam quidem ita servandam duco, ut Ciceronem duplicem structuram in unam conglutinasse arbitrer: si quae vitia in pluribus sunt, ea tu, quum in adversariis sunt, exprobrando adversariis non intelligas etc.? Hujus confusionis exempla vid. apud Matth. de Anacoluth. in Wolf. Anal. II, p. 24. — Difficilior est locus cap. 77. §. 314. ergo ut in oratore optimus quisque, sic et [Muell. etiam] in oratione firmissimum quodque sit primum.“ Schuetz. dedit in oratoribus, Muell. uti oratorum, Orellius vulgatam rectissime habere dicit, quam etiam, licet dubitanter, Henrichs. retinuit, Madvig., ut orator optimus. Ex his eas lectiones improbo, quae in damnant, quod sqq. „in oratione“ requirunt. Haec ipsa nescio, an Ciceronem impulerint, ut a ratione consueta et usitata discederet scribens in oratore pro in oratoribus. Quocumque modo hic locus emendetur — nam eum rectissimum esse, Orellio non concedam — certe in ejici nequit; quid? in oratore defenderem, si ejus enallages essent exempla.

Sed satis, mi Doehnere! de his: ad alterum locorum difficiliorum genus descendam, quorum causa in librariorum vel compendiis vel oscitatione vel inscitia inest: haesitantem expediet vel boni codicis

---

*) Quantum textus Cic. Orellio debeat, satis constat; tanta autem ejus in annotatione crit. brevitas, ut sine aliis edd. prope nulla judicandi sit copia. Henrichsen. vero accuratissimus fuit in codd. enumerandis, de qua re vid. Wunder. Praef. ad Or. p. Planc.

vel ipsa verborum ratio, quae saepe conjecturae ansam praebet. Et codicem quidem Erlangensem, quem Ernest. ad seculum decimum refert, optimae esse notae permulti evincunt loci, quamquam non is sum, qui ubivis ejus vestigia legenda esse contendam. Sed ad rem. Verba discere et dicere confunduntur: cap 1. §. 1. „quo facilius nos incensos studio discendi a doctrina deterrerent." Editiones antiq. usque ad Orellium et Henrichs. dicendi, sed non pauci codd. discendi praebent, quod verba vicina a doctrina flagitant. Sed ab Orellio discedo cap. 21. §. 89. qui legit „eum (Sulpicium) sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret ad discendum." Nam quod Hav. uterq. Guelff. Erl. praebent dicendum, longe mihi praestare videtur, vel propterea quod ipse orator paullo infra addit haec: „nisi dicere consuesset." In cod. Erlang.*) §. 6. recte qualis fuit, vulg. fuerit. §. 53. ornetur, vulg., quod Orell. retinuit, ornatur. §. 60. tactu, vulg. cantu. §. 78. in disceptatione reorum, vulg. rerum. §. 63. ex eodem libro legendum puto cum edd. antiquiss. excellat, vulg. excellant, quod interpretes retinuerunt. Simillimum huic dico locum §. 26. „quemque (Antonium) jam dudum Cotta et Sulpicius exspectat" ita cod. Erlang. U. g. Vulg. et Orell. exspectant. Sed singularis est lectio exquisitior eaque usu lat. linguae confirmata. Cic. Brut. 8, in. 17, 68. 50, extr. Beier ad Lael. 11, 39. Henrichs. recte nostro loco singularem tuetur, at improbo, quod ante „Cotta" e paucis libris et scripsit, quum ipse animadvertat, etiam non geminata copula saepe usurpari singularem numerum. Verumtamen eandem vocem in his locis restituendam puto: c. 25. §. 109. „tum et in sensum et in mentem judicis intrare non potest," prius et dedi ex Erl. Guelf. edd. antiquiss. Orell. uncis inclusit, Henr. omisit: at repetita praepositio meam rationem probabit. Cap. 26. §. 113. „nam et illud quidem, quod quidam Graeci adjungunt, totum in eo est, quo quale sit quaerimus." Plerique codd. et vulg. edd. ita exhibent, in paucis libris et omittitur, hos sequitur Henr. Verum copula habet vim affirmandi, ut non sit, cur omittas; vid. c. 56. §. 227. „illud quidem admiror" ubi vulgatam lectionem, cujus plures edd. ne mentionem quidem fecere, „et illud quidem" revocandam puto. Vid. Goerenz ad Legg. II, 3, 7. III, 10, 24.

Accedo ad eos locos, in quibus vel litera vel syllaba aut abjecta aut mutata lectionis verae vestigia quaesita sunt aut quaeri possunt: rem deinceps persequar. C. 4. §. 17. „omnium ineptiarum haud sciam an nulla sit major." Dedi sciam pro vulg. scio e cod. Erf. et Erl. Ex eodem hoc libro nulla pro vulg. ulla, quod retinuit Orell. De hac diversitate VV. DD. certatim disputarunt, vid. Gernhard et Beier in excurs. II. ad Cic. d. Amic. et Kühner ad Tusc. III. 8, 16. Etenim haud scio ple-

*) Si lectionum aliquot, quas praeferam, causas taceo, ex ipsorum verborum ratione, me quidem judice, eae facile erui possunt.

rumque innuit rationem affirmativam, nostrum ich glaube. cfr. c. 17. §. 72. „in causarum contentionibus magnum est quoddam opus atq. haud sciam an de humanis operibus longe maximum" c. 52. §.209. „haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidiae." Utroque hoc loco notio affirmativa, et lectio sciam, quam antea praetuli, stabilitur. Cfr. Lib. I, c. 14. §.61. Tusc. III. 24, 55. Porro c. 10. §.43. „in lite oranda," ita e Gulielmi conject., vulg. ordinanda, in aliquot libris ornanda, sed ille verissime conjecit, vid. d. Off. III, 10, 43. ibiq. Beier. — Verba per ex et re composita confunduntur, c.12. §.52. „referebatque in album" e Lambini conj. recte scribitur, vulg. efferebat, c.24. §. 102. „abdico et ejicio" est meliorum librorum lectio. Vulg. rejicio. c. 44. §.187. orationis summam esse auctoritatem demonstrans dicit: „tantam vim illa habet — oratio, ut non modo inclinantem excipere aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem capere possit. Vulg. legitur erigere, sed Pal. pr. sec. Mem. Pith. Erl. nostram praebent lectionem, quam non cum Orellio explico ad se trahere et inclinatum brachio veluti complecti, sed revocare in eum locum, a quo declinabat. Quoties permiscentur his et iis? vid. 5. §. 51. c. 56. §. 229. et Henrichs. p. 136.; quoties quod et quo? c. 75. §. 305. c. 78. §. 317. — Cap. 72. §. 312. „causae sunt ad agendum et ornandum gravissimae." Aliquot codd. augendum, quod edd. rec. amplexi sunt provocantes ad §. 80.; recte Matth. in Seebod. Misc. crit. I, p. 682. vulgatam defendit, vid. Cic. Manil. init. „locus ad agendum amplissimus." — Cap. 78. §. 317. „quanto hoc magis in oratione est spectandum, in qua non vis potius quam delectatio postulatur." Pro spectandum vulg. exspectandum, quod in sensum verborum non quadrat et e praeced. est, quod et ipsum non eodem ponitur loco, originem trahit. Praeterea pro quam vulg. sed, bonis libris renuentibus, qui illam lectionem praebent. Patet vero, unde haec diversitas nata sit.

Ex his omnibus quum perspiciatur, quam facile lectiones pravae scriptoribus obtrudi potuerint, vel eos obrepere, veniam des, mi Doehnere! meam qualemcunque sententiam de aliquot locis, qui medela egent, sanandis proferre: a qua re quantum abstineam, quum ipsa hac disputatiuncula ostenderim, tamen urgente necessitate remediis utendum est. Cap. 76. §. 307. „Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus atque ita peroremus, hoc dicendi genus natura ipsa praescribit." Duo sunt quae tangam: patet, seriem officiorum oratoris non dici posse genus, accedit, quod haec vox omittatur in Vet. ap. Steph. Guelf. A. Erl., hinc Orell. uncis inclusit. Facili manu, unaque littera mutata, huic loco medelam adhibebis scribendo dicenti. Nam hoc dicit Cicero: oratori ipsa natura, qua ratione in singulis versandum sit, demonstrat. Dum meam conjecturam Viris Doctis probari velim,

aliam Billerbeckii in eodem loco rejiciendam existimo. Offendit hunc „deinde ut concludamus,“ et de suo scripsit denique. Quae quidem conjectura magnam habet probabilitatem ab tota loci hujus ratione; at usum latinae linguae consulenti secus videbitur. Nam particula deinde, primo loco excepto, quemvis alium, etiam extremum occupat. Bis legitur Cic. de Divin. I. 55. II. 38., ter p. Rosc. 14. §. 130. ubi videndus Matth., octies de Invent. II. 49. Nostro loco geminus est de Or. II. c. 19. §. 80. „Jubent exordiri ita, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus et docilem et attentum, deinde rem narrare ita, ut veri similis sit narratio, post autem dividere causam, nostra confirmare argumentis, deinde contraria refutare.“ Aut utroque loco deinde retinendum aut mutandum; illud usui convenit. — Cap. 78. §. 319.“ sic et facile reperientur: sumentur enim ex iisdem rebus, quae erunt uberrimae vel in argumentis vel in iis partibus, ad quas dixi degredi saepe oportere: ita et momenti aliquid afferent.“ Matth. in Seebod. Misc. crit. I. p. 677. monet: „post parenthesin sensum particulae sic repeti voce ita.“ Ut hoc sit, tamen si haec difficultas tolli queat, quis non adsentiatur? Quid? Si pro sic et legitur sicut? Erunt, qui dicant, tum ita et male habere; videamus. Enimvero Laurent. Valla Elegant. ling. lat. II. c. 58. contendit, Ciceronem nusquam et pro etiam dixisse. Ab ejus partibus stant Heusingeri ad Cic. d. Off. I. 20. Schütz ad Cic. d. Or. pag. 21. Goerenz ad Leg. I. 12. §. 29. Acad. II. 42. Orelli ad Rep. I. p. 436. Giese ad de Div. I. 30. §. 61. Refragantur F. A. Wolf. post Creuzeri ed. d. nat. deor. p. 810. Creuzer ad N. D. I. 39. Hottinger ad de divin. I. 55 et pro Planc. p. 203. Beier ad Offic. III. 6, 27. Kühner ad Tusc. Qu. I. 17, 40. Sunt loci certissimae fidei, qui canonem Laurentianum evertunt; afferam, qui cum nostro loco, si quid mea conjectura valet, apprime conveniat. De N. D. I. 26. „quod et non praedicanti facile, tamen facile quidem concederem: sicut mali aedificii domino glorianti, se architectum non habuisse.“ — Denique non desunt loci corrupti, quibus aut nulla dum allata est medela, aut qui injuria in suspicionem sunt vocati. C. I. §. 2. „quum essemus ejus modi, quod vel pueri sentire poteramus.“ Sic corrupte omnes libb. mss., nec legi, quo quis remedio hunc locum sanaret. C. 2. §. 6. „multos et ingeniis et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor.“ Quomodo ingeniis explicas? Nam neque ingeniis recte sine adjectivo, neque „laude esse“ dici poterit. Sed cap. 9. §. 36. in verbis celeberrimis „historia vero, testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae“ non est cur haereas. Enimvero fuerunt, qui vitam memoriae dici posse negarent; atqui sensus est: historia in memoriam revocat majores, dudum defunctos, ita ut vivere videantur. Similiter Schaarschmidt in diss. Schneeberg. 1806 edita. At verba cap. 22. §. 91. „id sumere et in eo vitiosum esse non magnum est“ sano et justo sensu carent, ut, qui expediat, nondum fuerit. Cap. 46. §. 193. „spondalia illa.“ Cel Hermannus mutari vult in „e sponda illa“ satis ingeniose et haud sciam an vere. De alia

vero Viri Illustris in eod. loco conjectura scribentis „at idem inflexa ad miserabilem sonum voce flens ac lugens dicere videbatur" dubitare licet, nam vulg. ut idem etc. admirantis et obstupescentis est, ut eundem teneat haec particula locum, quem §. 202.

Haec habui, Summe Venerande Doehnere! quae solemnibus nostris scholasticis indicendis praefigenda ad Te mitterem; quae quam exigua sint, quum non ignorem, Tuam imploro veniam ac spero fore, ut nostris studiis, quae in erudienda juventute versantur, faveas. Sit Tibi hoc persuasum, me meosque collegas nihil prius, nihil antiquius habere et habituros esse, quam ut pietatis ac doctrinae semina nostrorum discipulorum animis infigamus itaque eos ad publica munera aliquando rite capessenda aptos reddamus. Te ac Tuos Deus O.M. omnibus auctibus augeat, salutem conservet, favore ornet, ut Tu per multos annos rebus sacris et scholasticis Ephoriae Friberg. praeesse iisque prospero cum successu consulere possis. Vale nobisque fave! Scr. ips. Non. Maj. MDCCCXXXII.

Schulnachrichten.

Die im letzten Programm ausgesprochenen Wünsche für das Schulwesen unsrer Stadt sind zwar bis jetzt unerfüllt geblieben: allein vielfache und freudige Hoffnungen sind in uns angeregt worden durch die Gründung eines Ministeriums für den Cultus und den öffentlichen Unterricht, da es an einem solchen bis jetzt in unsern Vaterlande fehlte. Zu den wohlthätigen und höchst ersprießlichen Einrichtungen der neuern Zeit gehört gewiß auch diese, von der die Schulen*) viel Gutes für sich erwarten. Dieß zu glauben veranlaßt uns namentlich die höchst erfreuliche Anwesenheit des Herrn Geheimen Kirchen- und Schulrathes D. Schulze, welcher den 26. und 27. März d. J. unser Gymnasium einer nähern Kenntniß nicht nur würdigte, sondern auch ver-

*) Die bescheidenen Erwartungen des Schulmannes, namentlich im Erzgebirge, bestehen darin, daß die Anzahl der Gelehrtenschulen beschränkt, die übrig bleibenden besser ausgestattet, zugleich unter den Schutz des Staates gestellt, und hier und da zweckmäßig eingerichtete Bürgerschulen gegründet und erhalten werden. Man vergl. einen Aufsatz in der Allgem. Schulzeitung II. Nr. 39. dieses Jahrgangs.

sicherte, E. Hohes Ministerium werde auf die Schulen des Vaterlandes ein besonderes Augenmerk richten. Die ausgezeichnete Theilnahme, welche der treffliche Mann uns schenkte, hat uns eben so erfreut, als Ihm ein dankbares Andenken in unsrer Brust gesichert!

Da die Lehrverfassung unsrer Schule keine Veränderung erfahren hat, so erwähne ich nur, daß die erledigte Collaboratur von den Herren Collatoren dem Candidaten der Philologie, Herrn M. Gustav Eduard Benseler aus Freyberg, den 8. Juny 1831 übertragen worden, so wie daß die Stelle eines Mathematikus von Herrn Julius Weisbach versehen wird. Zum Unterricht in der französischen Sprache erbietet sich Herr Sprachlehrer Bauer.

Von Ostern 1831 bis dahin 1832 haben 53 Schüler unsre Anstalt verlassen, von denen 20 die Universität bezogen; 33 sind zu den Geschäfften des bürgerlichen Lebens übergegangen, unter ihnen wurden 5 als untauglich für die Schulwissenschafften entlassen, 2 besuchen andere Lehranstalten, der eine in Altenburg, der andere in Dresden. Außerdem sind 2 unsrer Schüler gestorben. — Aus dem Schullehrer-Seminar sind in eben der Zeit 7 versorgt worden.

Von den erwähnten 20 Schülern wurden 14 im letzten Programm verzeichnete Ostern v. J. zur Universität entlassen; ich erlaube mir, von zweyen derselben die Abschiedsgedichte hier mitzutheilen:

Die Bestimmung des Lebens.

Kein lieblich Kind mit goldumsäumten Schwingen,
Umweht vom Zauberhauch der Phantasie,
Umtönt von süßer Sphärenmelodie,
Wird heute Euch die hehre Muse bringen;
In ernster Mahnung soll ihr Lied erklingen,
Das ihr ein Gott in seiner Gunst verlieh,
Und wie ein Schwan auf leicht bewegten Wogen,
So kommt sie still und feyerlich gezogen. —

Wohl ist es süß, bey holden Bildern weilen,
Die tändelnd sich das junge Herz erschafft;
Doch ewig darf der Strom der Götterkraft
Sich nicht in seichte Bäche nutzlos theilen!
Dem Aare gleich, der sich dem Nest entrafft,
Muß rasch der Geist zum großen Ziel enteilen!
Zu Spielen nicht, zu Thaten ward das Leben
Ihm von der ewgen Gottheit einst gegeben!

Drum frommt es auch, kein ernstes Bild zu scheuen,
Weñ glühend gleich des Jünglings Blut noch wallt
Und mit dem frischen Reiz des jungen Mayen
Ihn schmückt des Leibes blühende Gestalt.
Der Reiz verblüht, das Leben flieht zu bald,
Zu spät wird dich die junge Thorheit reuen:
Drum wahre dich und lerne, sonder Grauen
Dem Tode selbst ins bleiche Antlitz schauen.

So schritt ich jüngst, ganz in mich selbst verloren,
Hinab in eines Friedhofs stillen Raum
Und sahe sie, die sich der Herr erkoren,
Nun träumen ihren Auferstehungstraum!
Und dachte lächelnd, wie so manche Thoren
Nur einzig trachten nach dem irdschen Schaum!
Und höher hob, mit mächtgem Flügelschlage,
Mein Herz ein Sehnen nach dem Freyheitstage.

Und sieh! ein Grab war offen! Und es sprach
Zu mir der Mann, der schlafen legt die Müden:
„Den Todten, der in diesem Grabe lag,
Wir mußten stören ihn in seinem Frieden,
Um einem andern seine Gruft zu weihn,
Wir fanden nur noch weniges Gebein,
Und dennoch sind es kaum erst dreyßig Jahre,
Daß sie hierher ihn trugen auf der Bahre."

Erst dreyßig Jahr! O kurzes Menschenleben,
Wie bald ist jede Spur von dir verwischt!
Kaum kann das Licht ein wenig sich erheben,
Als es mit mattem Flimmern schon erlischt.
Und jene Kräfte, die sich widerstreben,
Wie bald hat sie des Todes Hand entmischt!
So dacht ich, und ein nie gefühlter Schauer
Durchbebte mich und tief empfundne Trauer.